



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

II. De Creatione omnium rerum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

ratione dicti, Spiritus Dei ferebatur super aquas.

Nunc piam & nenustam cogitationem de Myste-
rio Trinitatis in tribus primis literis Bibliorum pro-
posito, Studiosi meminerint. Sunt enim tres primæ
liter.e, in duab. primis dictionibus Geneseos, initia-
les earum dictionum, quibus tres personæ diuinitatis
nominantur, בראשית ברא ברא Bereschit Bara.

בן Ben. Filius.

רוח Ruah. Spiritus.

אב Ab. Pater.

Ac ponitur Spiritus sanctus in medio, Quia nex-
us est mutui amoris inter Patrem & Filium.

II.

DE CREATIONE
OMNIVM RERV M.

Primum opus Dei, in quo se patefacere & boni-
tatem ac sapientiam suam lucere & conspici uoluit,
est Creatio huius pulcherrimi theatri nature re-
rum, quam in hoc Capite Moses describit. Breuiter
igitur doctrinam de Creatione usitatis Quæstioni-
bus Methodi inclusam recitabo.

Creare apud Latinos significat designare, de-
nunciare, seu declarare, Sed in Ecclesia significat ex
nihilō aliquid fabricare. Estq; infinitum discrimen
inter Gignere & Creare, Nam Gignere est ex sub-
stantia sua aliquid producere, ut æternus Pater Fi-
lium ex sua substantia gignit, non ex nihilō creat, si-
cut

cut Ariani dicebant filium εν μηδ' οντων κληθωαι,
 Hoc est, Ex non existentibus conditum esse.

*Definitio Creationis usitate his
 uerbis traditur.*

CREATIO est actio externa
 Dei, qua Deus uolens omnes res alias,
 inuisibiles & uisibiles, ex nihilo fabri-
 cavit, consilio suo, ut æternam Ecclesi-
 sibi conderet, à qua agnoscat &
 omni æternitate celebretur.

SPECIES Creaturarum sunt, Nature inuisi-
 biles, uidelicet Spiritus seu Angeli, de quibus Psalm.
 103. dicitur, Qui facis Angelos tuos Spiritus. Et Na-
 ture Visibiles, ut Homo, Cælum, Lumina, Stella,
 Aër, Aqua, Terra, Planta, Animantia, & reliqua
 partes Mundi.

CAUSA EFFICIENS est Deus Pater, Fi-
 lius, & Spiritus sanctus, Qui simul omnes res alias
 condiderunt & conseruant. Psalm. 33. Verbo Domini
 cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis exerci-
 tus eorum. Ebr. 1. Per filium secula condidit. Iohan. 5.
 Pater meus ab initio usq; ad hoc tempus operatur,
 & ego operor.

Ex his dictis perspicuum est, Non esse hoc modo
 discernendas personas Diuinitatis, ut Pater solus di-
 catur Creator, Filius Redemptor, Spiritus sanctifi-
 cator. Nam omnia hæc opera Dei externa, Creatio,
 Redem-

Redemptio & Sanctificatio, communia sunt trium personarum. Estq; uera Regula Augustini: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, Hoc est, Opera quæ Deus extra suam essentiam facit, sunt communia trium Personarum.

Quod autem in Symbolo solus Pater nominatur Conditor cœli & terræ, causa est, Quia Pater est fons, ut ita dicam, totius diuinitatis, quæ se in illo mirando opere creationis primum patefecit.

CAUSA IMPULSIVA Creationis in mente diuina est, Immensa bonitas Dei, qui suam sapientiam, iusticiam, uitam & leticiam uoluit creaturis rationalibus communicare, & uicissim ab eis agnosci & celebrari, Nam Bonum est communicatiuum sui. Sic D. Irenæus lib. 4. cap. 28. inquit, Deus hominem plasmauit Adam, ut haberet, in quem sua beneficia collocaret.

INSTRUMENTVM quo Deus ad hanc pulcerrimam machinam cœli & terram fabricandam utitur, est VERBUM, seu filius Dei, λόγος.

MATERIA ex Qua, nulla est, Nam omnes Res ex nihilo conditæ sunt, ut Ioh. 1. dicitur. Omnia per ipsum facta sunt, Ergo etiam materia facta est. Eccles. 18. Qui uiuit in æternum, creauit omnia simul, seu uniuersaliter. Psalm. 32. Ipse dixit & facta sunt. Ipse mandauit, & creata sunt. Ebræ. 11. Fide intelligimus condita esse secula, ita ut ex inuisibilibus uisibilia prodirent. Quod autem in Physicis dicitur,

tur, Ex nihilo nihil fit, id in natura iam condita & ordinata uerum est, nec transferendum est ad primam conditionem rerum. Sicut Stoici finxerunt Materiam Deo conditori coeternam fuisse, Quod Stoicorum delirium, cum Hermogenes defendendum suscepisset: Tertullianus in Refutatione Hermogenis inquit, Philosophos hæreticorum Patriarchas esse.

FORMA Creationis & Creaturarum à nobis perspicietur, cum ipsius architecti æterni Patris, Filij, & Spiritus sancti, deliberationem & sapientiam in hoc opificio Mundi propositam coram audiemus.

FINIS Creationis est, ut Dei sapientia & bonitas in toto opificio Mundi luceat, ac ut ex Angelis & Hominibus æterna Ecclesia Deo colligatur, à qua agnoscatur & celebretur, & cui suam bonitatem in omni æternitate communicet.

Ephes. 3. Qui omnia creauit, ut innotescat per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.

Coloss. 3. Homo ad agnitionem Creatoris conditus est.

Ephes. 4. Homo iuxta Deum creatus est ad iusticiam & sanctitatem ueram.

Ephes. 2. Ipsius opus sumus conditi ad bona opera.

EFFECTVS Creationis sunt omnes Creature.

COGNATA Creationi est conseruatio & susten-

sustentatio naturæ à Deo condita. Non enim discessit Deus à suo opere, quod fabricauit, Sed adsiuè adest suæ creaturæ, seruat leges motuum cœlestium, uices dierum ac noctium, uices temporum anni, quotannis fecundat terram, dat uitam animantibus & hominibus, præparat infantibus cibum in uberibus matris, antequam nascantur, seruat & prorogat uitam, ut dicit Paulus. In ipso sumus, uiuimus & mouemur. Coloss. 1. Omnia per ipsum consistunt.

Nec tamen Deus alligatus est ad naturam, à se conditam, ita ut non possit aliter agere, quam ut fert ordo in natura institutus, Sed libere adest suæ creaturæ seruans & sustentans eam; & uel mutans, uel moderans, uel impediens, uel tollens eam, ut Ephe. 3. dicitur: Ei qui potest super omnia & abundanter, supra quam petimus & intelligimus, sit gloria & c. Idem confirmant Miracula omnia, quibus ordo nature usitatus, Dei potentia propter piorum preces mutatus est. Recepti sunt primi Parentes, seruatus Noë in diluuiio, diuisum mare Rubrum præbuit uitam Israëlitis. Cursus Solis repressus est Ios. 10. Resuscitati sunt mortui ab Elia, Eliseo, Christo, Apostolis & c. Deniq; infinita sunt exempla mirandarum liberationum, quæ diuinitus contigerunt sanctis, cum omnibus causis secundis destituti essent. Hæc commonefactio & uera est, & ad Inuocationem Dei necessaria est.

PUGNANTIA cum articulo de Creatione sunt,

sunt, Omnium sapientum extra Ecclesiam falsa opi-
niones de primordijs rerum.

Aristoteles in Octauo $\Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\omega\varsigma$ ἀκροῦσεως, con-
tendit Mundum eternum esse.

Stoici duo rerum omnium principia posuerunt
Deum & Materiam.

Democritus & Epicurus Mundum ex Atomis
componunt temere & casu concurrentibus, & quo-
tidie nouos Mundos oriri & occidere fingunt.

Thales, qui proxime uidetur ad Mosis sententi-
am accedere, dixit aquam esse principium rerum.

Deniq; magna uarietas est discrepantium opi-
nionum, de principijs & causis omnium rerum, effi-
cientibus & materialibus apud Philosophos, quas
Aristoteles in primo $\pi\epsilon\gamma\iota$ ἀρχῶν collegit.

III.

DE PROVIDENTIA.

Apud Philosophos, ut apud Ciceronem in secun-
do de Natura Deorum, & Platonem in Decimo de
Legibus & alibi, quatuor sunt præcipuæ Questio-
nes de Deo.

- I. An sit Deus.
- II. Qualis sit.
- III. An hic Mundus Dei consilio conseruetur &
administretur.
- IIII. An Deus curet genus humanum, et an flecta-
tur hominum precibus ac sacrificijs.